

† R. P. Henricus Brandonw (1860-1933)

(Vice-Prov. Holl.-Bras.)

E vivis sublatum ante diem III Nonas Novembres superioris anni, velut cuius loco occupando vix quisquam sit idoneus, deflet nostra Vice-Provincia desideratissimum confratrem, cuius vitam memoriae tradere ne pigeat.

Defunctus Pater, unicus filius parentum pietate insignium mediae conditionis, Amstelodami natus est a. d. III Nonas Februarias anni 1860.



Eius proavi sectae Israeliticae addicti erant, qui e Lusitania depulsi discesserant in Hollandiam. Nomen Lusitane sonabat *Brandão*, quae vox redditur: taeda sive titio. Quod nativum nomen postea, Brasiliae plagis appulsus, missionarius iterum sibi imposuit.

Parentibus eius fuit fabrica in qua pater opificium ligni serra dissecandi exercebat; qui labor ipsi emolumenta sat pingua afferebat, adeo ut vita decedens grandiusculas relinqueret fortunas, quae mortua quoque matre omnes confratri nostro contigerunt ac maxima ex parte Congregationi ab eo sunt legatae.

De pueritia Henrici pauca nobis nota devenerunt. Tantummodo scimus, qui 74 fere annorum senex futurus erat, eum fuisse infantem admodum fragilem, ut medici de vita parvuli non semel metuerent. Quorum testimonio humidum urbis natalis caelum eius valetudini oberat, qua de causa parentes puerulum vix quinquennem in Collegium S. Aloysii Oudenbosch miserunt, quo in oppidulo, meliore utens valetudine, simul progrediebatur scientia et gratia. Duodennis Collegii Werthiani alumnus in ea quae ad commercium sternunt viam studia incumbit; post triennium autem quandam ad sacerdotium inclinationem deprendens, privatim iam linguae Latinae operam dat. Patres Iesuitas, ut sibi portam aperiant, adit, qui tamen ei suadent ut aetatis suae causa differat ingressum. Interim adulescens in Seminarium minus Hageveld ac maius Warmundae dioeceseos Harlemensis admissus, mirum quam fausto eventu studia philosophica et theologica absolverit; quamvis enim valetudine corporis debilis esset, intellectus tamen facultates mature vigeabant. Annos vix 23 natus absoluto studiorum cursu Sacri Ordines sibi ut conferrentur petivit, verum

Exmō D. Bottemanne, loci Ordinario, in aetate canonica dispensationem flagitare omnino non solente, ipsi moerenti annum integrum expectandum fuit. De eius in Seminario peracta vita Adm. R. D. Praeses Prenger sic testatus est: « In Seminario moribus erat integerrimus. Multo zelo nec minori fructu in studia incubuit. In cotidiana sua vita certam quandam prae se ferebat vanitatem, quamquam hunc principalem eius esse defectum contendere haud praesumo ».

Die Assumptioni Deiparae Virginis sacro anni 1884, una cum clarissimo illo Dogmatico G. C. van Noort, qui civitatis Amstelodamensis vicarii foranei hodie munere fungitur cuiusque opera integrum per orbem diffusa sunt, sacerdotio initiatus, per biennium sacro ministerio sese mancipavit in paroechia Naaldwyk. Eo tempore vocatio religiosa in corde eius maturare coepit, quae arcana res ad posteros pervenit subobscurae. Apud Societatem Iesu, cum iuvenem non admisisset aetatis praecipue causa postea tamen amplius ingressum non postulavit. Amicus quidam in Seminario collega paulo ante Congregationi nostrae dederat nomen. Quodam die R. D. Brandouw eum visendi causa adiit, qui erat futurus Provincialis P. Aug. Beukers¹. Colloquii decursu ipsum interrogavit P. Beukers, quid ageretur de eius Societatem Iesu ingrediendi proposito? Cui Henricus, qui ad id tempus usque non nisi de isto proposito somniarat, perstringens: « Nihil mihi », inquit, « et Societati illi! Solummodo Redemptorista evadere in votis habeo! »

Dein enisus est ut in nostrum admitteretur novitiatum, eiusque precibus obtemperatum non est nisi postquam ipsi remissum fuerat iusiurandum quod iurarent oportebat omnes dioeceseos Harlemensis neo-ordinati, nempe dioecesim se non deserturos cum intentione Ordinem ullum sive Congregationem ingrediendi. Quin rectissima hac in re intentione fuerit ductus, dubitare nequit, qui de eius ad Provinciale epistula rescierit: « Volo saeculum relinquere: 1) ut sic facilius salutem operer meam; 2) ut Deo placeam necnon peccata mea expiem; 3) ut dilectioni respondeam quam mihi exhibuit Christus qui semetipsum tradidit pro me, cuique ego vicissim me donare volo integrum. Volo Redemptorista fieri: 1) quia huic ipsi Congregationi soli allectum me sentio ac profiteor; 2) quia tres meditationes quae in Congregatione fieri consueverunt necnon specialis erga Dei Matrem devotio inclinationibus meis prorsus congruunt; 3) quia in Congregatione vita perfecte communis existit atque vita activa contemplativae coniungitur ».

Nuncupatis a. d. IX Kal. Decembres a. 1887 votis religiosis, Wittemium profectus est ad normam Constitutionum in Theologiam Alfonsianam incubiturus. Post semestre missionarius fit ac per quattuor annos domui

¹ *Analecta* I (1922), 141-143.

Buscoducensi adscriptus novitiorum Socii fungitur munere. De quo confrater quidam testatur: « Egregiam dedit operam multumque laboris consumpsit in exsequendis officiis sibi iniunctis, videlicet socii novitiatus et socii Directoris Associationis Militaris ». Ipsi illis diebus primum opusculum conscripsit, cui eximio precum manuali titulus est *Vir militaris Romano-Catholicus*; quam elucidationem plura postea in Brasilia subsecutura erant opera.

Vere anni 1895 domui Rosaevallensi aggregatum invenimus ad Secundae Probationis semestre peragendum. Praeter citata iam motiva cur Institutum nostrum ingressus sit, absque ullo dubio eum movit ardens votum quam plurimas lucrandi animas maxime derelictas. Ex quo capite patria ipsi angusta erat nimis. Pl. R. P. Provincialem Kronenburg, cum Secundae Probationis Patres visitaret, sponte sua adiit, generose semet offerens pro Missione Brasiliana, quae anno ante inceperat. Accipitur eius oblatio et mense Septembri eiusdem anni P. Brandouw patriae, propinquis, amicis valedixit, ut putabat et volebat, in perpetuum, appulsurus ad oras Terrae S. Crucis.

Quamvis unici collegii Iudicisforensis bibliotheca tum paupercula esset neque ad addiscendam linguam Lusitanam subsidia suppetere ulla, tamen confrater desudans tantopere enisus est, ut post 7 menses iam missionum cursui interesse posset. Multos per annos vere apostolus hasce plagas saepe invias equo vectus peragravit, praedicans Christum crucifixum, quo in munere, ut laborum eius socii testantur, indefessus nec sibi nec operae parcere solebat, sive subditus erat sive postea superior missionum. Uno quidem ex itineribus suis etiam tribum quandam invisit Indianorum, quorum nonnullis baptismum conferre ipsi prospere successit.

Quem diu in labores externos incubiturum sperabamus, eum casus fortuitus e campo missionum abstulit. Nam in missione quadam mensis Octobris a. 1907 post catechesin puerorum forte cecidit, cui erat « caro ingens et in horrendam magnitudinem diffusa et inflata », si Lactantii verba ei adaptare mihi liceret. Fatalis huius casus consequentia erat, ut medici deinde affirmabant, fractura ossis pelvis, ita ut post aliquot menses in nosocomio peractos rediens ineptus reperiretur ad ministerium missionale; neque unquam integre convaluit, sed semper moleste ibat baculoque niti cogebatur.

Nec tamen exinde conquievit, verum ministerio interno et apostolatu calami totum se dedebat. A. 1902 ad nutum Superiorum Apparecidam se contulit, ut in vicinae Vice-Provinciae domo Secundae Probationi praeesset; de laboribus ibi exantlatis hodie etiam fama currit, nam apud primos illius Vice-Provinciae missionarios quasi basin posuit systematis nostri apostolatus hisce terris adaptati.

Memoriae prodi oportet Patrem Brandouw a. 1902 exeunte in missione civitatis Juiz de Fóra viros collegisse, quos ferventi oratione exhortatus est ut associationi S. Familiae in Brasilia nondum existenti nomen darent. Ipso eo die 300 viri iuvenesque ingrediuntur, ita ut Pater iure meritoque fundator dici queat S. Familiae in Brasilia, quae hodie ubique diffusa vastum, in animas praeprimis virorum, operatur bonum¹.

Autumno a. 1908 collegio Bello Horizonte adscriptus est, quo in domicilio ad mortem usque permansurus erat, itaque 25 annos completos. Nil mirum quod in paroecia nostra impendenti se pro animabus, praesertim in confessionali, aura favoris popularis obtigit eumque elegerunt confessarium et patrem spiritualem plurimi, inter quos Vicarii Gen., professores, sacerdotes cet., necnon praeses Seminarii, qui passim eum et de dimittendis alumnis consulere solebat. Soliti protinus eum domi invenire poenitentes ad P. Henricum confluebant creberrimi; mitis et comis, omnium corda attrahendi, durissima quaeque frangendi facultatem habebat perspicuam. Licet inde ab a. 1917 suggestum iam non conscenderet, siquidem praeterquam ceteris infirmitatibus etiam vertigine laborare coeperat, tamen nefas foret contendere amplius eum non praedicasse verbum Dei. Innumerae enim sunt conferentiae et catecheses quas sive ad Sorores quarum pater spiritualis, sive ad «Filiis Mariae» quarum Director erat, sive ad pueros puellasque scholarum, sive ad militares, sive ad operarios habuit. Eius opera, interdum et pecunia, schola paroecialis «Pius X» fundata et ecclesia in novo suburbio Floresta exstrui coepta est. Erat quoque «assistens ecclesiasticus» cuiusdam sodaliti operariorum, in quorum corda rudia clam et silentio plurima effudit beneficia solatii et gratiae.

Praeprimis autem laudi dandum ipsi est quod indefesse apostolatam exercuit calami. Erat collaborator foliorum hebdomadaliū «Unionis» quod Flumine Ianuarii, et «Operarii» quod in Bello Horizonte in lucem prodit. Quorum directores permagno pendebant eius articulos. Initio a. 1908, cum «dominus» Seymour edidisset librum qui inscribitur *Noites com os Romanistas* (Vesperae cum Papistis), confestim sese accinxit ad refutandas tribus voluminibus, quibus titulus est *Noites com os Methodistas* (Vesperae cum Methodistis), obiectiones ac falsas circa doctrinam catholicam notiones. Quod opus a clarissimo litteratore Carolo de Laet aliisque meruit laudibus extolli.

Mense Augusto a. 1925 moderator unicus creatus est nostri folioli paroecialis *O sino de São José* (Campanula S. Iosephi), quod eo moderante crevit ad cumulum 13 000 exemplarium, quae singulis Dominicis non tan-

¹ *Analecta* XIII (1934), 56-58. Ibi erronee dicitur primum sodalicium huiusmodi a. 1908 in civitate Rio de Janeiro conditum esse.

tum in ipsa paroeciā, sed etiam in pluribus paroeciis aliarum urbium, immo etiam capitū reipublicae, gratis disperguntur certoque certius disseminant semen optimum in multorum corda. Pater Brandouw id semper respexit ut misceret utile dulci, quapropter dies integros, horas continuas transigebat scribendo commentarios vel colligendo materias vel legendo ac revolvendo libros omnigenos ac folia diaria variarum linguarum vel transscribendo vertendoque excerpta. Tantam dicitur pedetentim copiam composuisse, ut in plures menses in promptu essent quae in lucem erant edenda.

Superest ut de eius obitu quaedam tradamus. Robustissima licet esset corporis constitutione, saepius tamen morbo qui dicitur « ericepela » et « eczema » laborabat, ut vel duos tresve menses continuos interdum lecto teneretur et quominus litaret impediretur. Mense Octobri aegritudinibus accesserunt inflammatio peritonaei et intestinorum torpor, quae patientissime ad finem usque sufferebat. Sacramentis rite reffectus placidissime mortem oppetiit nocte post Commemorationem OO. Fid. Def. a. 1933. Tunc vero omnibus patuit quanto amore eum prosequerentur; siquidem civitas Bellorizontina commota est tota. Multitudo immensa feretro circumstans funeribus interfuit, orans ac lacrimis, sertis, coronis, floribus obruens cadaver. Exsequias sponte sua ipse Archiepiscopus peragere, et Status Gubernium per vicesgerentem, eis interesse voluit; necnon civitas gratuito sepulturam « primae classis specialis » paravit, ita ut agmen in viis vere regium videretur, et simplex Pater eodem tumulandus curru efferretur quo paulo ante defunctus Praesidens Status Minas Geraes, D. Olegarius Maciel.

Summo studio amplexi nos sunt Episcopi, sacerdotes, doctores, ministri Status, medici, fideles omne genus, qui Missas celebrarunt vel celebrari iusserunt, qui preces fuderunt, qui sive per epistulas sive per telegrammata animi sensum erga defunctum eiusque confratres aperuerunt. Certatim omnia folia et periodica laudibus extulerunt eum qui inter pares facile erat princeps. Sic folium *O Horizonte*: « Doctum hunc ac pium sacerdotem », inquit, « populus civitatis summo prosequeretur favore ac benevolentia. Animae moderator exsistebat magnae incolarum parti; quamobrem non tantum paroecia S. Iosephi, verum omnes urbis Catholici eius obitum deflent. Norant omnes et admirabantur gnavissimam eius industriam. Semper negotiosus et intentus occupabatur. Nisi poenitentiae sede praecludebatur, scribebat aut legebat aut orabat. Exemplar fuit vivum laboris. Pauca verba, facta multa ».

Reapse duplex erat huius vitae nota: labor atque spiritus pietatis et precum. Ne minimum quidem otium sibi permisit studiis iugiter vacans et orationi. Bibliothecas integras legit; sermonum confecit acervos; pro vectiore etiam aetate utrumque volumen cl. Aertnys-Damen ipse revol-

vere iterum atque iterum non dubitavit. Orationi tribuens tempus plurimum perraro quietem pomeridianam carpebat, quod in teporum climate haud parvum habendum est sacrificium. Lecto decumbens ac multis vexatus corporis miseriis, hora statuta lectionem et meditationem pomeridianam nunquam omittebat. Singulis sabbatis, quibuscumque detinebatur officiis curisve, semper et ubique hora eadem, quin immo eodem minuto ad confratris cubiculum pulsabat ad peragendam confessionem praescriptam. Indolem stomachosiores ac certam quandam gulam industria continua satagebat compescere. Qui per ultimos quattuor annos ei exstitit Rector, testatur: « Velut infans semper omnes, etiam minimas a me petebat licentias. Horarium quod pro recessu annuo et menstruo sibi praestituerat, religioni sibi ducebat unquam infringere, sibi flagella insuper dire applicans ».

Requiescat in pace, qui bonus miles Christi quietem sibi in agone nunquam quaesivit!
